

1071. Ecclesia nova Sancti Benedicti dedicata est ab Alexandro Papa die Kalendarum. Octobrium cum quinque altaribus Sanctis. (18)

1072. Alexander Papa defungitur, & Ildebrandus Archidiaconus in Papam Gregorium ordinatur mense Aprili.

1074. Nocte Natalis Domini captus est prædictus Papa super sanctum altare à quibusdam Romanis, sed vi, & constantia omnium Romanorum eodem die receptus est.

1075. Venit hoc anno Robertus Dux super Salernum (19) pridie Nonas Maji, & obsedit eam terra, marique, & cepit eam die Idus Decembris.

1076. Hoc anno Richardus Princeps cepit obsidere Neapolim principio mensis Maji. (20)

1077. (21) Richardus Princeps obiit Capuæ quinta feriâ Cœnæ Domini, & Neapolis obsidione soluta est, & Jordanus fit Princeps.

1080. Henricus Rex valida manu venit Romam, sed obstantibus Romanis cum Papa Gregorio sine effectu regressus est. Robertus Dux Romaniam debellaturus ingreditur.

1082. Henricus Rex iterum Romam veniens, Porticum S. Petri vi captam ex parte destruxit, & Archiepiscopum Ravennensem inavorem Ecclesiæ Romanæ constituit.

1083. Idem Rex à quibusdam Romanis in-

Cæterum quod Ostiensis de Gotfridi Marchionis munere ibi perhibet, nimirum consuevisse illum quoties ex Transalpinis regionibus Rex Italiam deberet intrare, cum sua militia Regem præire, ex parte etiam tangit Nicephorus Gregoras lib. 7. sed Marchionis dignitatem exterius, ac Græcus scriptor non bene callens. *Marchiones*, inquit, *qui non clari sunt apud Latinos, eum dignitatis gradum tenent, quem apud Romanos (Græcos sic appellat) is qui vexillum Imperatoris gestat. Et infra. Marchioni perpetuum munus attributum, ut novo Imperatori vexillum præferat.* Marchiones quidem haud magno in honore primitus fuerunt, utpote nec inter potestates, nec dignitates connumerati, quales soli Reges, Duces, vel Principes, atque Comites: sed tandem & ipsi in dignitate. *Peregr.*

(18) In Codice 47. annus notatur 1070. qui in Codice 199. est 1071. itemque in Ostiensi lib. 3. cap. 30. à quo perhibetur, Kalendarum Octobris eo anno incidisse in Sabbatum, quod verum. Manifestum errorem in re celebri facile advertit, castigavitque qui hujus Chronici editionem curavit Caracciolus. Scribendum ramen erat. *Cum quinque altaribus suis, non sanctis*, ad fidem scilicet utriusque manu exarati Codicis. *Peregr.*

(19) Annus ad Anonymi mentem restituendus 1076. quem Codex 199. designat, eundemque adfruit Romualdus Salernitanus, sequentem vero Lupus, qui audiendus non est, ut ibi dixi. Sed de his plenius alio loco. *Peregr.*

(20) Non hoc anno, sed sequenti obsessam à Campano Principe Neapolim, notant Codex 199. Romualdus Salernitanus, & Chronicon Cavenis. At Codex 47., & ex eo editus, suum servant errorem. Vide quæ de his, de quo obitu Richardi dixi ad Lupum, ne actum hic agam. *Peregr.*

(21) Breve quoddam Chronicon Caranei manu exscriptum ponit obitum Richardi Principis ad ann. 1080. Protospata autem ad ann. 1077. *Carac.*

(22) Scripti Codd. *Idem Rex Romam à quibusdam Romanis*, &c. *Peregr.*

(23) *Quarta feriâ prima hebdomada Quadragesimæ, octavo scilicet Idus Martii congregati sunt apud Tarracinam, Campania civitatem Ecclesiæ Ordines pro eligendo Romano Pontifice Victoris tertii successore, electisque tunc est Urbanus 2. subsequenti die Domini, 4. Id. Martii, ut tradit Petrus Diac. in*

A tromissus (22), post duos menses à Roberto Duce fugatus est. Idem Dux Papam Gregorium de Urbe erutum Salernum perduxit.

1084. Fames, & mortalitas maxima fuit. Gregorius Papa apud Salernum moritur: & Robertus Dux.

1085. XIII. Kalendas Martii noctis initio Stella clarissima in circulum primæ Lunæ ingressa est. Desiderius Abbas Romæ in Papam Victorem eligitur die Pentecostes.

1086. Desiderius Abbas Papa ordinatur VII. Idus Maji, qui postea in hoc Monasterio, ordinato Abbate Oderisio, post tertium diem moritur. Pisani apud Africam certantes Saracenos vicerunt.

B 1087. Otho Ostiensis Episcopus in Papam Urbanum eligitur IV. Idus Martii. (23)

1089. Ecclesia S. Martini dedicata est à Joanne Tusculanensi Episcopo die Octavarum ejusdem B. Martini. Obiit Jordanus Princeps. (24)

1090. Castrum Frattæ à Normannis furatur, (25) & à nostris duodecimo die, magna Dei virtute, receptum est. Capuani rebellaverunt.

1093. Ecclesia S. Andreae Apostoli (26) dedicata est à Raynaldo Episcopo Cajetano III. Kal. Febr.

1094. Stellæ de Cælo innumerabiles quasi pluere mense Aprili (27) prope diem versus Occi-

Auctar. ad Ostiensem lib. 4. cap. 2. quem Anonymus hic noster ab anno 1075., & in subsequentibus habet Auctorem. Quadrantem ista omnia in annum 1088., quod noto, ut commissum semel in hoc Chronico Prochronismum constantissimè fuisse observatum pateat. *Peregr.*

(24) In Serie Abbatum Cassinensium, ubi de Oderisio, dictum est, Ecclesiam S. Martini dedicatam anno 1090. *Perque idem tempus*, inquit Petrus Diac. lib. 4. cap. 10. *Jordanus Princeps cum universam partem Campaniam à jure Sedis Apostolicæ subductam in ditionem accepisset, apud Pipernum vita decessit, &c.* Obiit itaque Jordanus jam dicto anno, quod Lupus quoque perhibet, atque ut Campana Emortualia notant, 13. Kalend. Decembris, Cassinense die sequenti: Campani autem in eunte novo anno 1091. adversus Richardum 2. ejus filium rebellant, sed Anonymus noster utrumque annum ex librarii errore advertit. Romualdus Salernitanus defunctum dicit Jordanum *Inditione 14. scilicet inchoata, anno Principatus 13. nempe à morte Richardi patris, eodemque non exacto*; apud quem annus Christi unitate excedit, restituique debet *MXC.*, qui in calamo exaratis exemplaribus est *MXCI.* Auctor Chronici Cavenis, simulque alter Chronici Ceccanenensis Auctor, dum calamo parant, in unum eundemque annum, & Jordanum mortem, & Campanorum defectionem retulere: ille in annum 1091. hic in antecedentem. *Peregr.*

(25) Scripti Codd. unaque Descriptio consecrationum Ecclesiarum Cassinensium habent, *furatum*. *Peregr.*

(26) Vide Seriem Abb. Cassin. in Oderisio. *Peregr.*

(27) Typographi sanè defectum facile supplebis ex scriptis Codd. *quasi pluere vise sunt, mense Aprili*, &c. At annus Christi notandus 1095. tum ex Lupo, Sigeberto, aliisque, qui annus restituendus etiam est in Fragmento Historiæ Francorum à Roberto ad mortem Philippi Regis; tum ex Petro Diacono lib. 4. cap. 11. *Anno autem*, inquit, *Dominica Incarnationis millesimo nonagesimo quinto, Prid. Non. Aprilis, quarta Feriâ post octavas Paschæ (eo anno litera Dominicalis fuit G. Pascha verò vigesima quinta die Martii) à quarta ferme vigilia noctis usque in crepusculum stella innumerabiles de cælo versus occidentalem plagam ubique terrarum cadere vise sunt.* *Peregr.*